

DE
COMMUNIONE INFIRMORUM.

TITULUS VICESIMUS SEXTUS.

SUMMARIUM PRIMUM.

- 1 Viaticum plures habet significationes.
- 2 Est quandoque Restitutio alicujus Fidelis communioni Ecclesiae.
- 3 Omne Viaticum non est Eucharistia.
- 4 Communiter sumitur Sanctissima Eucharistia pro Infirmis.
- 5 Significat Eucharistiam, quae praefertur Pontifici itineranti.
- 6 Adventus Papae Clementis VIII. Ferrariam.
- 7 Significatio mystica Viatici.
- 8 Est Sacramentum necessitate Praecepti sumendum.
- 9 Fideles antiquitus detinebant apud se Sacram Hostiam.
- 10 Ministrandum est dum aeger est compos mentis.
- 11 Parochus peccaret si aeger moreretur sine Viatico.
- 12 Quinam arcendi sint a Sacra communione?
- 13 Concubinari quinam sint?
- 14 Si non dimittant Concubinam, non sunt communicandi Viatico.
- 15 Opinio damnata de Concubinis tenendis ad alium usum.
- 16 Infirmi debent prius ejicere Concubinam, postea petere Sacramenta.
- 17 Constitutio contra Medicos tertio visitantes Infirmos.
- 18 Monitum de Confess. et Commun. debet fieri per modum exhortationis.
- 19 Circa periculum standum est iudicio Medicorum.
- 20 Parochus potest esse peritus, deficiente alio peritiore.
- 21 Non est credendum Infirmo dicenti se bene habere.
- 22 Melius est vivere cum Sacramentis, quam mori absque illis.
- 23 Viaticum debet ministrari etiam si aeger pridie communicaverit.
- 24 Aegroti convalescenti potest iterum ministrari Communio.
- 25 Infirmi in eadem infirmitate possunt pluries communicari.
- 26 Opinio illorum, qui volunt Infirmum posse communicare quotidie.
- 27 In eadem die communicatus potest refici Viatico.
- 28 Aliqui volunt quod teneatur.
- 29 Aeger convalescens tenetur paschali praeepto parere.
- 30 Jejunium necessarium pro Communionem.
- 31 Infirmi possunt sumere Viaticum non jejuni.
- 32 Infirmi difficile possunt abstinere a cibo, vel potu pro medicina.
- 33 Infirmus si commode potest, debet communicare jejunos.
- 34 De viatico ministrando morte plectendis.
- 35 In Hispania damnati non communicabant.
- 36 Concilium Moguntinum reprobavit hanc consuetudinem.

- 37 Ita pariter motu proprio S. Pius V.
- 38 Communicandi sunt morte plectendi.
- 39 In quibusdam locis Communio fit tertia die ante mortem.
- 40 An damnati communicandi sint jejuni?
- 41 Damnati ad mortem non sunt regulariter Infirmi.
- 42 Communiter communicantur non jejuni.
- 43 Difficiliter possunt damnati abstinere a potu.
- 44 Damnati corripiuntur febre statim ac moventur de sententia.
- 45 Morborum genera pro quibus Aegroti non sunt communicandi.
- 46 Regulae de dignoscendis talibus morbis.
- 47 Deliranti si ante delirium petierit, potest ministrari Viaticum.
- 48 In Phrenetico datur semper, casus, et periculum irreverentiae.
- 49 Viaticum non est ministrandum Infirmo sub specie Vini.
- 50 Os foetidum purgari debet infirmo ante Communionem.
- 51 Morbus est qui distinguit communicandos domi, a communicandis in Ecclesia.
- 52 Infirmis non jejunis praestari potest Communio per modum Viatici.
- 53 Si morbus sit chronicus, servandum est Jejunium.
- 54 Infirmus communicandus ex devotione debet esse jejunos.
- 55 Eucharistia servatur in Tabernaculo ut adoretur.
- 56 Et ut Infirmis ministretur.
- 57 Adoratio debet fieri in Ecclesia.
- 58 Sumptio pro Viatico debet fieri in Domo.
- 59 Eucharistia non deferenda ad Aegrotos, ut tantum eam adorent.
- 60 Vestes ministrantis Viaticum.
- 61 Viaticum deferendum Infirmo etiam in vili loco degenti.
- 62 Et haec est maxima dignatio Dei.
- 63 Velum sericum album ad usum deferendi Viaticum.
- 64 Ejus mensura.
- 65 Appellatur Velum humerale.
- 66 Viaticum debet deferri manifeste, hoc est, ante pectus.
- 67 Honorificentia, et reverentia habenda in hoc casu.
- 68 Sacerdos procedere debet gravi incessu.
- 69 Currere repugnat reverentiae.
- 70 Baptismus, et Poenitentia possunt festinanter ministrari.
- 71 Parochus potest festinare, non autem currere cum Viatico.
- 72 Fideles pro Divino cultu in Viatico utuntur cereis accensis.
- 73 Acolythorum ordo institutus est ad hoc.
- 74 Familia Aegroti deberet occurrere cum Cereis accensis.
- 75 Laternae pro Viatico institutae, et necessariae.
- 76 Constitutio Benedicti XIII. super hoc.
- 77 Quatuor habendae laternae pro quacumque Parochia.
- 78 Earum forma a D. Carolo praescripta.
- 79 Deferri debent a Confratribus SS. Sacramenti quatenus adsint.
- 80 Campanae quare pulsantur?
- 81 In casu Viatici debent pulsari distincto modo.
- 82 Brevi tempore pulsari debent occasione Viatici.
- 83 Invitantur praecipue Confratres Sanctissimi Sacramenti.
- 84 Confraternitas Sanctissimi Sacramenti quando instituta?
- 85 Festum. SS. Corporis Christi quando institutum?
- 86 Confratribus SS. Sacramenti incumbi associare SS. Viaticum.
- 87 Lumina debent esse ex cera.
- 88 Oleum permittitur adhibendum tantum in lampadibus.
- 89 Quot intortitia haberi debeant a Parocho pro associatione SS. Viatici.
- 90 Distribui debent Personis dignioribus.
- 91 Umbella, seu Baldachinum, necessarium pro Viatico.
- 92 Eorum forma.
- 93 Baldachini usus pro Umbella.
- 94 Baldachinum pro Processionibus institutum.
- 95 Mensa, et Linteum paranda in domo Aegroti.
- 96 Baldachinum parvum portatile pro cubiculo in domo Aegroti.
- 97 Cubiculum Aegroti mundandum a sordibus.
- 98 Cubile etiam mundandum si fieri potest absque Aegroti incommodo.

- 99 In loco vili et pauperi Parochus secum deferre debet mensam, et linteum.
- 100 Luminaria si non adsint, ferenda sunt a Parocho.
- 101 Per luminaria intelliguntur laternae.
- 102 Vascula bina pro Aqua, et Vino parari debent.
- 103 Haec omnia possunt parari a sodalibus SS. Sacramenti.

1 2 3 4 5 6 7 Viaticum plures habere significatio-
nes, clarissime constat ex dictis a Clericat. *pict. decis.* 19. *nu-*
mer 1. Verum doctissimus Alaspina Episcopus Aurelianen-
sis in suo elucubratissimo libro *de Veteribus Ecclesiae Ritibus,*
lib. 1. observ. 11. contra communem opinionem, non aliud esse
Viaticum dicit, quam restitutionem alicujus fidelium commu-
nioni, nec omne Viaticum esse Eucharistiam; cum Poenitens
ex hac vita emigrans, aliud quam Eucharistiae Viaticum pos-
sit accipere. Per antonomasiam vero communiter Viaticum
significat apud fideles Sacrosanctam Eucharistiam, quae datur
constitutis in articulo mortis, *cap. qui recedunt* 26. *quaest.* 6.
cap. quid in te 11. *de Poenit. et remiss.* Sicut enim Viaticum
etiam significat Eucharistiam, quae Papae ab Urbe paulo lon-
gius proficiscenti praefertur, ut solemnissima pompa, religio-
sissimoque apparatu testatur vidisse Casal. *de Vet. Sacr. rit.*
cap. 81 tunc cum Clemens VIII. Papa Ferrariam petiit anno
1598. ad significandam Arcam Foederis, quae Populum Israe-
liticum in Terram Promissionis proficiscentem anteibat; ita in
delatione ejusdem Sacramenti ad proxime moriturum, hoc
Viaticum confert vires Animae Fideli ad iter agendum in aeter-
nitatem, et ad astus Diabolicos superandos, Clericat. *d.* num 2.

§. I. Viaticum Sacratissimi Corporis Domini nostri Je-
su Christi summo studio, ac diligentia Aegrotantibus, op-
portuno tempore procurandum est, ne forte contingat illos
tanto Bono, Parochi incuria, privatos decedere.

8 Procurandum itaque est hoc Sacramentum summo stu-
dio, et diligentia Aegrotantibus, et tempore opportuno, ut sic
adimpleat praeceptum seu divinum, seu Ecclesiasticum, ut dis-
putant Theologi: qua ratione dicitur hoc Sacramentum esse ne-
cessarium non necessitate medii, sed necessitate praecepti, et
simpliciter ad salutem, Gloss. *in cap. quod in te* 11. *verb. con-*
cedimus, de Poenit. et remiss. Caramuel. *Theol. fundamental.*
num. 2004.

9 Quamobrem tanta semper fuit sollicitudo Ecclesiae, ne
Fideles in articulo mortis constituti, hoc valido praesidio im-
muniti decederent, ut in primitiva Ecclesia, grassante Persecu-

tionem, concederet iisdem fidelibus Sacram Hostiam apud se de-
tinendam, ad hoc ut si mortis casus accideret, eam assumendam
praesto haberent, Pax Jord. *lib.* 3. *t.* 3. *n.* 5.

10 11 Tempus opportunum, quod a textu quaeritur, est
dum aeger est mentis compos, et viribus spiritualibus saltem
pollet, ut recte animadvertat id, quod agit, et suscipit, ad hoc
ut suscipiat cum fructu spirituli. Quod si ex incuria, et negli-
gentia Parochi fieret, ut Infirmus sine Eucharistiae Sacramen-
to moreretur, certe immunis a culpa non esset negligens Paro-
chus; quam culpam mortalem esse judicat inexcusabiliter, nos-
trae Ferrariensis Ecclesiae Canonicus Theologus Andreas Berto-
ni, *de negligent.* P. 2. *art.* 32. *num.* 15. ut in fine antecedentis
Rubricae dictum fuit.

§. II. Cavendum autem in primis est, ne ad indignos,
cum aliorum scandalo deferatur, quales sunt publici Usu-
rarii, concubinarij, notorie criminosi, nominatim excom-
municati, aut denunciati, nisi se se prius Sacra Confes-
sione purgaverint, et publicae offensionis, prout de jure,
satisfecerint.

12 13 14 15 16 De indignis a Sacra Communionem ar-
dendis satis dictum est in explicatione Tituli de hoc Sacramen-
to §. 7. Addam aliquid modo de Concubinariis, et dicam, non
obstantibus quibuscumque opinionibus in contrarium, Concu-
binarium sive publicum, sive secretum, non dimissa, ejectaque
Concubina, reperiri in statu peccati mortalis, et per conse-
quens non posse admitti ad Sacram Eucharistiam percipiendam
neque in articulo mortis, Clericat. *d. dec.* 28. *nu.* 5. nec valet
dicere, Concubinarium non amplius tangere Concubinam, sed
pro domus gubernio eam tenere, quia opinio damnata est, quod
sit licitum tenere Concubinam, etiam copula cessante, damna-
vit enim hanc pravam propositionem Alexander Papa VII.
die 2. Septembris 1666. et tres alias consimiles damnavit pari-
ter Innocentius Papa XI. anno 1679. die 4. Martii, et sunt
in ordine 61. 62. 63. debent igitur Concubinarij prius ejicere
Concubinam, et deinde impetrari Sacramenta: pro quo notan-
dum est quod *ejicere*, significat, *extra domum projicere, longe,*
et omnino expellere. Cap. *Vidua.* 16. *dist.* 34. Clericat. *dict.*
decis. vigesima octava, num. 12. et 13.

§. III. Hortetur Parochus infirmum, ut Sacram Com-

munionem sumat, etiamsi graviter non aegrotet, aut mortis periculum non immineat, maxime si Festi alicujus celebritas id suadeat, neque ipse illam ministrare recusabit.

17 18 Sanctissima Constitutio illa est nuper edita in Romano Concilio a Benedicto XIII. *T. 33. cap. 1.* ubi praeter poenas alias, excommunicationem proponit adversus Medicos tertio visitantes infirmos post decubitus non confessos: quia quanvis de Sacra Communionem mentionem non faciat, attamen ad eam suscipiendam facilius disponit per Sacramentalem Confessionem. Aegrotus itaque juxta hanc regulam monitus et poenitentiae Sacramento munitus, quamvis non graviter laboret, attamen facilius se ad Sacramentum Eucharistiae suscipiendum disponet, nec grave illi erit Parochi monitum, tunc quando illi dicit: *Dispone Domini tuae, etc.* Istud tamen monitum debet esse per modum exhortationis, ut insinuat Rubrica nostra, ne Infirmus deterreatur; quod facile evitari poterit, si colore, et praetextu alicujus imminens solemnitas (dummodo tamen non mentiatur) id fiet. Interim Parochus devotionem suis monitis, ac piis considerationibus excitabit, ut in aegrotantis pectore divinus exardescat ignis.

§. IV. Pro Viatico autem ministrabit, cum probabile est quod eam amplius sumere non poterit. Quod si aeger, sumpto Viatico, dies aliquotvixerit, vel periculum mortis evaserit, et communicare voluerit, ejus pio desiderio Parochus non deerit.

19 20 21 22 23 Judicio peritorum Medicorum standum est in hoc casu, vel si medicus non adsit, considerandum est periculum a prudenti Parocho, cui si in conscientia videatur, aegrotum esse in periculo non amplius sumendi tale Sacramentum, debet illud ministrare audenter, et sine scrupulo, juxta peritiam suam, deficiente alio peritiore: nec credere debet verbis Infirmi, qui constanter dicat, se graviter non laborare, ac potius bene se sentire; quia est axioma communis Medicorum in malignis febribus: *Pulsus bonus, Urina bona, aeger moritur.* Certe non expectandum esse tale periculum, ut amplius non sit locus communicandi, docet Benett. *d. Opus. Med. morale corol. 2. num. 3. pag. 147. in append.* Circa quod mihi semper placuit concilium illud cujusdam doctissimi Parochi Ferrariensis, qui in casibus dubiis solebat dicere: Melius

esse vivere cum Sacramentis, quam mori absque illis. Igitur sine dubietate in hoc casu debet Parochus ministrare etiam si Infirmus pridie communicaverit sanus, quia cum id non fecerit ob adimplendum praeceptum de sumendo Viatico, illa Communio, quae praecessit, ad hoc non valet, sicuti non valeret auditio Missae ante diem festivum, vel jejunium ante diem vigiliae, Clericat. *d. d. 23. num. 2. et 3.*

Aliquid dicendum esset hoc loco de Communionem ministranda morti condemnatis, in quibus verificatur id, quod dicit Rubrica: *probabile esse, quod eam amplius sumere non possint.* Sed cum eodem tempore loquendum sit de jejunio, ad sequentem §. omnia dicenda remittam.

24 25 26 27 28 Convalescente aegrotato post sumptum Viaticum, si petierit Communionem, poterit ei ministrari: concedunt enim DD. per Tonell. *Sacr. Enchir. l. 1. cap. 1. §. 6. num. 14.* posse Infirmum in eadem infirmitate pluries Viaticum sumere. Alii cum Villalob. post 30. dies; alii cum Sylv. post 7. cum Filliuc. alii post 6. alii cum Lud a S. Joann. post 3. denique Leander plures citans *par. 2. de Sacr. tr. 7. disp. 5. quaest. 40.* concedit, Infirmum, durante periculo mortis, posse quotidie non jejunum communicare. Sed alii contrarium docent probabilius, nisi forte infirmus ob singularem pietatem, et devotionis affectum, aegre ferret caelesti pabulo privari, ut notat Laym. *lib. 5. tr. 4. num. 20.* Si vero periculum cessaverit, et post decem, vel octo dies iteratum periculum subjerit, non solum posse, sed etiam teneri Viatici praecepto satisfacere docet Quart *par. 3. tit. 9. sect. 1. dub. 6. casu. 3.* quod tamen cum tanto rigore non credit intelligendum Tonell. *l. c. num. 17.* quia cum prorsus non convaluerit, durante eadem infirmitate, censetur etiam idem morale periculum, quamvis primum physice cessaverit. Quibus addo cum eodem Tonell. §. 12. *sect. 1. n. 4.* probabile esse quod docent multi cum Hurtad. *de Euch. disp. 10. dis. 2.* Laicum, qui ex devotione mane communicaverit, posse eodem die, si in periculum mortis incidat, iterum pro Viatico communicari. Imo alii cum Quint. *tr. 4. sing. 9. num. 1.* asserunt non solum posse, sed teneri: contra quos est opinio negativa, et probabilior Tambur. *Meth. com. c. 5. §. 6.*

29 Ego credo, huic loco (Rubricam nostram sequendo) posse addere; quod si quis sumpto Viatico, convaluerit, deinceps teneatur communicare in Paschate, si tempore Paschatis sumpsit Viaticum, quia diversa sunt praecepta adimplenda: unum de Communionem Paschali, alterum de Viatico sumendo, Tonell. *de §. 6. n. 21. §. Quod si.* Alia dicemus in §. 6. hujus Rubricae inferius.

§. V. Potest quidem Viaticum brevi morituris dari non jejunis: id tamen diligenter curandum est, ne iis tribuatur, a quibus ob phrenesim, sive ob assiduam tussim, aliumve similem morbum, aliquam indecentia cum injuria tanti Sacramenti timeri potest.

30 31 Quamvis in primitiva Ecclesia jejunium naturale esset praescriptum ad communicandum, ut patet ex S. Augus. ep. 118. cap. 6. ap. Januar. et ex dicto Tertulliani, qui asserit, debere Fideles accedere ad Sacram Mensam Virgine adhuc saliva. de Jejun. cap. 6. et habetur in Can. liquido 154. de consecr. dist. 2. c. Sacramenta. 59. de consecr. dist. 1. c. nihil. 7. q. 1. c. ex parte, de celebr. Miss. et Thom. 3. par. qu. 80. art. 8. nihilominus indulgens, et pia mater Ecclesia, nobis in patriam redituris ut in fortitudine hujus cibi ad montem, qui Christus est, pervenire valeamus, Cl. d. dec. 19. n. 7. indulgit, ut Infirmis non jejunis etiam posset praeberi, ut est communis Doctorum sententia, et pluribus SS. Concil. Decretis probat Card. Brancat. de Sacro Viatico, p. 146. et seqq. de Lugo de Euch. disp. 15. n. 58.

32 33 Haec dispensatio ministrandi Sacramentum Eucharistiae Infirmis proxime morituris, non jejunis, probatur ab immemorabili consuetudine, ubique locorum observata, contra quam nullus adhuc, quem sciam, nec Canon, nec Doctor insurrexit: imo Conc. Constantien. sess. 13. loquendo de hoc jejunio, excipit casum infirmitatis, in qua difficile, et non sine periculo potest Infirmus abstinere a cibo, vel potu, saltem per modum medicamenti. Attamen Coninck d. q. 80. art. 8. n. 51, in voto est, ut jejunos communicet; sed ego puto, quod loquatur de Infirmo non morti proximo; nam subdit: Non tamen ideo teneri communionem differre usque in sequentem diem cum periculo, ne prius moriatur, aut ita morbo opprimatur, ut non possit postea integris sensibus communicare.

34 35 36 37 38 Hic locus est disserendi de ministrando Sanctissimo Viatico condemnatis, et morte plectendis. Certe antiquitus, et praecipue in Hispania, mos erat, et consuetudo non praebendi Communionem capite damnatis, ut notat Coninck d. q. 80. art. 11. dub. 3. sed hanc crudelem nimis consuetudinem reprobavit Concilium Moguntinum sub anno 847. ut notat Baron. Annal. t. 10. sub anno eodem, §. ut Episcopi. n. 29. et recentioribus saeculis, motu proprio, abrogavit SS. Pius V. de anno 1569. ut testatur Suarez disput. 69. sect. 3. quam sequebatur fortasse Parochus ille, de quo loquitur Manara Nott. Malinc. Interr. 19. qui Sanctissimum Viaticum cuidam condemnato acriter ministrare renuevat. Sed clare

loquitur textus noster, dum dicit, administrandam esse Sacram Eucharistiam iis, qui probabiliter eam sumere amplius non poterunt. Quenam quaeso major probabilitas dari potest, quam quod aliquis sit ad mortem damnatus? Igitur Sacra Communionem reficiendus est, ut decrevit S. Episcoporum Cong. 26. Junii 1590. decernens contra quorundam irresolutam opinionem: *Reis capitali sententia damnatis, etiam mane quando exequenda est, posse dari Eucharistiam*, Barbos. d. Man. Episc. verb. Eucharist. num. 49. Ita etiam Fragos. de Regim. Reip. Christ. p. 1. lib. 5. disp. 12. §. 13. num. 65. cujus verba sunt: *Qui sunt capaces praeceptorum, obligari in articulo mortis, etiam si sit violenta, et auctoritate publica imposita, ad hoc Sacramentum suscipiendum tanquam Viaticum*. Quam sententiam sequuntur Diana, et Quintanadven. allegat: a Manara d. loc.

39 Unicam cautelam addidit S. Carolus, Act. p. 4. Instr. Euch. quae non ubique locorum adimpleri potest, sed in iis tantum ubi viget consuetudo per triduum ante mortem consolandi damnatos. Ubi vero una dies sit assignata peremptorie huic officio, utpote hic Ferrariae, Bononiae, Romae, alibique locorum, nequit impetrari id, quod S. Archiepiscopus innuit, dum dicit: *Reis capite damnatis, in tempore ministrabit (Eucharistiam) aget vero cum Judice, magistratuve, ut quo die illi Corpus Domini sumpserint, ne eo die, ob reverentiam afficiantur ultimo supplicio*.

40 41 42 43 Difficultas est an hujusmodi condemnati sint communicandi jejuni, vel pro iis valeat regula eadem, quae pro infirmis proxime morituris. Notum est, ut etiam advertit Benett. dict. Coroll. 3. n. 7. §. Haec autem, etc. ultimo supplicio damnatos generaliter loquendo, non esse infirmos, ideoque posse, sine laesione salutis, vel sine augmento infirmitatis jejenium servare; quod non militat in infirmis, qui saltem pro medicamento saepius refocillandi sunt. Ideo Coninck d. q. 80. art. 8. n. 51. asserit, quod si afficiendus supplicio, praeciverit se eo die moriturum tenetur jejunare donec communicaverit, quia commode potest: nihilominus communis praxis in contrarium est (et egomet saepius vidi, ministerium consolandi damnatos exercens in Ferrariensi florentissima Schola Archiconfraternitatis Mortis, et Orationis) vidi in quam damnatos communicare per Viaticum non jejunos, quod rationabiliter factum credo, ex quo difficillime in illius noctis angustiis potest miser damnatus se abstinere a sumenda aliqua, saltem corroborante, vel refrigerante potione, ut ita regere possit in decursu temporis, usque ad consummatam sententiam.

44 Secundo quia ex peritorum experientia, statim ac sententia mortis illis revelata, seu intimata est, febre interna, et malo mortis corripiuntur ob animi, et sanguinis commotionem;